



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui iejunare non possunt, & psalmo nesciunt, quomodo  
poenitentiam vnius anni, quem in pane & aqua iejunare debent, redimere  
possint. xx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De redēptione vnius hebdomadæ quam in pane & aqua ieiunare debet.* Cap. XVIII.

**P**ro vno hebdomada quam in pane & aqua ieiunare Ex codē.  
debet, CCC. Psalmos genibus flexis in ecclesia de-  
cantet. Si autem hoc facere non potest, tria Psalteria in  
Ecclesia, vel in loco conuenienti intentè decantet. Et post-  
quam psallerit, excepto vino, carne, & sagimine, sumat  
quicquid velit.

*De redēptione vnius mensis, quem in pane & aqua  
ieiunare debet.* Cap. XIX.

**P**ro vno mense quem in pane & aqua ieiunare debet, Ex codē.  
Psalmos mille ducentos genibus flexis decantet.

**S**i autem hoc facere non potest, sine genuflexione se- Ex codē.  
dendo, aut stando in Ecclesia si fieri potest: Sin autem,  
in uno loco, mille DC. octoginta Psalmos decant. Et om-  
ni die si velit, & si abstinere non vult, reficiat se ad sex-  
tām nisi quartam feriam, & sextam, ieiunet ad nonam. Et  
à carne, & à sagimine, & à vino, totum mensē se absti-  
neat. Alium autem cibum postquam Psalmos supradictos  
decantauerit, sumat. Isto ordine, totus ille annus redi-  
mendus est.

*De illis qui ieiunare non possunt, & Psalmos nesciunt,  
quomodo pœnitentiam vnius anni quem in pa-  
ne & aqua ieiunare debent redimere pos-  
sint.* Caput X X.

**Q**viverò Psalmos non nouit, & ieiunare non potest, Ex codē:  
pro vno anno quem in pane & aqua pœnitere de-  
bet, det pauperibus in eleemosynam vigintiduos  
solidos, & omnes sextas ferias ieiunet, in pane & aqua. Et  
tres quadragesimas, id est, quadraginta dies ante Pascha,  
& quadraginta dies ante festiuitatē sancti Ioannis Bapti-  
stæ, & si ante festiuitatē aliquid remanserit, post adimpleat,  
& quadraginta dies ante Natalem dñi, in istis tribus qua-  
dragesimis, quicquid suo ori præparatur in cibo, vel in po-  
tu, vel cuiuscunq; generis fit, istud æstimet quanti præcij  
sit, vel esse possit, & medietatem illius precij distribuat  
in eleemosynam pauperibus & assidue oret, & roget  
Deum ut oratio eius, & eius eleemosynæ apud Deum ac-  
ceptabiles sint.